



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 77. Quia sic oportet fieri. v. 54.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

sed ista humilitas & abjectio multum illam superat, neque enim iam homo sed abjectus plane vermiculus effectus est, illic quidem eras inter grata piissimæ matris brachia, sed hic inter nudas ferocium manus Iudæorum: ibi Deus & homo adorabaris, hicut latro caperis; ibi regia tibi offerebantur munera, hic cæderis, blasphemaris, contemneris, irideris, ut mei miserearis, exaltes in cælis, à morte liberaes æterna. Quid igitur retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo die ac nocte.

§. 76. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? v. 54.

Pergit Christus in illo tanto tumultu animo præsentissimo ore pacatissimo, alio argumento ulterius persuadere Petro, ut reponderet gladium, nec opus esse putaret defensione sua, quia ita esset præfinitum à Deo Patre in consilio deitatis, re velante per fidem & traditione & sacra scriptura, qua crebro nimis, nimisque aperte prædictum erat Christum passurum, & iam esse illam horam, & ideo non impediendam. Siste ergo, siste Petre, mitte gladium. hæc est enim voluntas patris, ut Christus patiatut ut homo, & ita iatret in gratiam suam & secum multos eo adducat.

**O**Mni Deus quando ero tandem ita sollicitus, ut perficiam quæ mandantur & præferibuntur in sacris litteris, sicut tu modo? quando conabor me vel semel vere conformare non dico, sacra scripturæ toti ad plenitudinem; hæc enim tibi soli convenit, sed ad unicam illam paginam Decalogi, vel duorum præceptorum charitatis? ut te amem toto corde, tibi gratus sim, mandata tua observem. hodie, hodie mi Jesu da gratiam, ut cum gratia sancti spiritus incipiam & nunquam deficiam, satis eheu & nimium satis deflexi à mandatis, ruis utque modo, prò pudor & dolor!

§. 77. Quia sic oportet fieri. v. 54.

Ut tandem concluderet Christus unico quasi verbo omnes rationes quibus Petrum moverat ad desistendum à persecutione Iudæorum, dixit, quia sic oportet fieri, scilicet oportet Christum pati & ita intrare in gloriam suam, & te oportet desistere ab impediendo proposito Dei. verbum enim oportet pro veritate materiæ substratæ indicat necessitatem vel decetiam tam ratione Christi filij Dei, quam hominis redimendi. Filij Dei, quidem quia ipse voluit, juxta Prophetam dicentem, *oblatus est quia ipse voluit*, ratione hominis, quia omnes eramus filij iræ, ejecti ob peccatum Adæ à Paradiso sine fine mansuri miseri: misertus est ergo nostri filius Dei unigenitus & obtulit se Patri ad satisfaciendum pro nobis, iuxta id: *Apparuit benignitas &*

F

huma-

*humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum tuam misericordiam salvos nos fecit. Atque id erat quod insinuabat cum dixit: oportet & sic fieri.*

**O** Pijssime Domine quid ultra facere mihi potuisti? sed quæ oro, pijssimū cor tuum, charitas vicit, ut te ipsum a deo ultroneè offerres in mortem pro peccatis meis? ut quæ a deo sitires & anhelares ad potandum calicem Passionis acerbissimæ, ut nolles impediri. a deo namque fervebat in te sitis operandi salutem nostram, ut in nobis tam multum non ferveat desiderium eam grato animo acceptandi, ò quam gravia sunt peccata, quæ talem deposcebant satisfactionem! & à tam digna persona explendam! & quam parum gratiæ tibi rependitur? quia ergo mi Deus oportuit sic fieri, ut ex sola in nos misericordia & volūate solveres Patri quod debebamus, & eriperes de diabolica potestate in æternum perditos, ut eo gratiores tibi essemus. Confiteor multam & magnam ingratitude meam, pro omni illo amore benignitate & fidelitate, quam mihi exhibuisti usque modo. Canam ergo cum Ecclesia nunc & semper: Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua nos virtute libera vit de diabolica potestate. certe quia ipse dixit sic oportet fieri merito nos semper dicemus, oportet nos esse gratos ob innumera in nos collata beneficia: sed & hanc mihi largire gratiam ò Deus, adeoq; meū accēde desiderium & affectum, ut in eodem amoris ardore, quo tu te ipsum pro me patri obtulisti, & ipse me vicissim totum tibi offeram, cum omni facultate mea in hostiam vivam ad exequendum, in omnibus tam in agendo, quam dimittendo absque ulla electione, gratissimam voluntatem tuam, ad ferendum etiam, quidquid ex bonitatis tuæ promissione mihi accidere poterit.

§ 78. *In illa hora dixit Iesus turbis. v. 55.*

In illa hora quando ita adhortabatur Petrum ad cessandum à vi repellenda & ad patientiam dixit turbis & verè turbis quæ turbatim irruerant in ipsum sine ordine, & mensura, non secus ac vituli pingues, canes, tauri, leones. vituli propter petulantiam & nocendi libidinem, tauri propter impetus cæcitate, quo hac illac trudebant & impellebant quasi cornibus. leones propter clamores & tumultus quos ciebant, canes propter aviditatem prædæ & firim qua, veluti canes feram, invadebant Christum: vel etiam propter criminationes & convitia quibus eum velut latratibus impetebant.

**O** Pater benignissime intuere è cælis hic filium tuum unicum, quantis is correptus sit angustijs, quam in mitibus cruciatibus circumseptus. & quo